



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Sebastiani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)



attendendum est, quatenus citra peccati periculum tristari nobis de malorum hominum felicitate liceat. *Mense VI. Disc. 179. pag. 471.*

IN FESTO  
S. SEBASTIANI.

I.

*Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*  
*Luc. 6.*

Summa hæc est Martyrum gloria, quod suam illis potestatem communicaverit Christus: *Opera. quæ ego facio, & ipse faciet.* Certè quod hodie de Christo dictum est, idem de S. Sebastiano dici potest: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Propterea merito ab Ecclesia colitur tanquam Patronus sanitatis contra morbos & maximè pestilentiam. Ad DEUM igitur potius & S. Sebastianum, quàm ad humana remedia fugiamus, dum simili malo affligimur. *Mense IV. Disc. 120. pag. 535. usque ad num. 10.*

2.

*Gaudete in illa die, & exultate.*  
*Luc. 6.*

DEUS, dum alibi locorum grassari morbos permittit, nos monet, ut solliciti ad ipsum



sum confugiamus. Planè nunquam securi sumus: quare improvidè agimus, si immoderata nos lætitiæ tradamus. Tunc verè lætabimur, si DEI cælitumque ope ferventer implorata securitatem nobis à flagellis spondere possimus. *Mense IV. Disc. 120. pag. 549. à num. 10. ad finem.*

3.

*Beati eritis, cum vos oderint homines,  
Luc. 6.*

Si odia hominum curasset S. Sebastianus, non esset ausus captivos Christianos invisere, sublevare eorum inopiam, confirmare fidem, semetipsum in captivitatis ac mortis periculum conjicere: verum ille, quò atrocior sciebat Imperatoris sævitiem, tam magno animo contra audentior ibat, ausus etiam in faciem Diocletiano crudelitatem exprobrare. Discamus, quantum pro ratione statûs nostri possumus, hanc imitari magnanimitatem, quæ fertur in res arduas honore dignas, sic tamen, ut honoris desiderium Christiana modestia moderetur. *Mense IX. Disc. 255. pag. 181.*

4.

*Beati eritis, cum vos oderint homines,  
Luc. 6.*

Non fatis est mirari ac venerari fortitudinem Sanctorum Martyrum, qua sævissimis tormentis ac gravissimis periculis obvii processerunt,



runt. Est hæc fortitudinis virtus non solum propter excellentiam suam admirabilis, verum etiam cuius Christiano necessaria. *Mense IX. Disc. 249. pag. 68.*

IN FESTO  
PURIFICATIONIS DEIPARÆ.

I.

*Quod parâsti ante faciem omnium populorum. Luc. 2. v. 31.*

Christus ad omnium hominum redemptionem venit, ut, quisquis vult, salvus fiat. Pereunt tamen plurimi suâ culpâ, sicut Simeon prædixit: *Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum.* Nostrum est, curare, ut JESUS sit nobis in salutem. *Mense X. Disc. 280. pag.*

III.

2.

*Perfecerunt omnia secundum legem Domini. Luc. 2.*

Nihil omnino Maria & Joseph omiserunt, quod lex Domini requireret à quacunque femina, licet Maria, quæ manserat sine macula, purificationis lege prorsus exempta fuerit: tam aliena tamen erat ab omni culpa, ut etiam umbram culpæ timeret. Quo exemplo docemur etiam venialia vitare peccata, quia lege Domini prohibentur, qui tamen per eorum

n s

rum